



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvrgensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Additiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

BERG E N.

MONASTERIUM Monialium ordinis S. Benedicti, intra Neuburg & Aichstet, oppida, fundatum est à domina Wiltruda, filia Gisalberti, Ducis Lotharingæ, ex Gerbirga, sorore Ottonis primi Imperatoris, vidua Berchtoldi Ducis Bavarix, fratris Arnoldi mali, Anno Domini 976. Bruschius in sua centuria Monasteriorum de hoc Monasterio latius, licet idem Bruschius in Metropoli Moguntinensi, sub Reginaldo Aichstetensi Episcopo, aliter scribat, nempe quod à Gura, vxore Berchtoldi, Comitis de Lecksmund, hoc Monasterium institutum sit: sed errat ibi Bruschius. Auentinus in Annalibus suis impressis, fol. 491. Vxorem Ducis Berchtoldi vocat, Neptem Ottonis primi, ex sorore Gerbirgam; sed Autographum habet ex sorore Gerbirga. Fuit namq; fundatrix seu vidua Berchtoldi Ducis, nomine Wiltrudis, cuius mater Gerbirga, soror Ottonis primi. Vide Ioannem Cuspinianum in vita Ottonis primi.

A D D I T I O N E S.

BERGENIVM vel *Bergense* S. Crucis Monialium *Benedictinæ* professionis in Aichstetensi Episcopatu & prefectura *Heerspruck* dimidio miliari à *Neuburgo* Danubiano, & duobus miliaribus ab *Aichstadio* situm, amplissimum coenobium, fundatum legitur anno Dñi. 976. imperante *Othone* secundo, eiusque coniuge Dñ. *Theophania*, ab Illustrissima. Principe ac Domina, Dñ. *Wiltrude Bertholdi* ultimi Bavarorum Ducis honestissima coniuge, quæ ob insignem virtutem ac vitæ integritatem cognomentum *Pia* habere meruit. Occasio construendi Monasterij hæc fuit: Gubernabant Bavariam temporibus Imp. *Henrici* Aucupis duo Principes præpotentes, germani fratres *Arnoldus* & *Bertholdus* ultimi Bavarorum ex posteritate *Caroli*. Magni. Quorum senior *Arnoldus* aliquoties seditiosus in *Henricum* Aucupem, tandem victus ab eo apud inferiores Pannones tantisper exulavit, donec *Ottoni* reconciliaretur, cuius consensu in *Bavariam* tandem rediit. Vbi cum admodum grassaretur in bona Ecclesiastica, dicitur anno 937. miserrimo fato sublatus horribiliter periisse, reliquisse vero filium *Eberhardum*, concordibus omnium Principum suffragiis exheredatum. Successit huic *Arnoldo* fratri suo *Bertholdus* Dux ille, qui Dominam *Wiltrudin* nobilissimam tæminam *Gisalberti* *Belgarum* & *Lotharingorum* Ducis è *Gerbirga* Imp. *Otonis* germana sorore filiam, vxorem habuit. Is *Bertholdus* cum Ducatu *Bavariæ* præfuisset duodecim annis, sine hæredibus obiit, anno Domini 949. Bona eius in regium fiscum redacta sunt. Ducatum *Bavarium* donodedit Imp. *Otto* Magnus *Henrico* fratri suo. Domina *Wiltrudis* verò vidua mansit, quæ dotalès adhuc Prouincias tenebat, & ipsis imperabat, *Sulzgoniam* videlicet, *Nardogoniam*, *Schrovanfeldum*, & prædia circa *Heersbruggum* sita. Hæc anno viduitatis suæ vicesimo sexto, Christi verò anno 976. cogitans solam se esse, &

Calpar Bruschi de Monasterio Heerspruck
Sano modo hæc Legendæ sunt, & intelligendæ de quibus vid. General. Bavar. generat. sc. prima. & sequenti. malè confunduntur. *Arnolphus* Bavor. Dux est filius *Arnoldus*: fratres quoq; *Arnolphi* *Berchtoldus*, & ex *Arnoldo* filio nepos *Berchtoldus*. Res in uniuersum ita habet. *Luitbaldus* Bavar. Dux, ex coniuge *Adelhaide*, *Othonis* *Saxonix* Ducis, *Henrici* *Cæs.* *Henrici* *Aucupis* sorore binam suscepit sobolem masculam, *ARNOLPHVM* & *BERCHTOLDVM*. Hic post fratris obitum *Boiariæ* Dux ab *Otone* I. Imp. constitutus, coniugem habuit *Wiltrudem*, quæ de *heer* agimus; eamq; anno 948. secundum alios 945. fato funtens viduam reliquit. *ARNOLPHVS* maior natus frater prædesundus, regni iuxta titulum *Baiariæ* Dux, à vulgo historicorum *MALI* cognomen reculit: & ut fidem commentum inueniret, plurimum fabulosa rebus ab eo gestis adpersa fuerunt. *Catholica* Ecclesiæ studiosus, a se totus & patronus fuit; sicut de eo docet R. P. *Gresorius* in *Sacralog. Episcoporum* *Eichstaden* sub *Vdalfrico* *scilicet* *Wlfrido* Episcopo l. X. p. 424. *Hepic* annus auctor peruenit in *grauis*, in suis an. malibus ad *A. C.* inter alia, de hoc ipso *Arnolpho* sic refert: *Agareni* (al. *Vngari*) *Bavanniam* intrauerunt. *Erebanger* & *Berthold* frater eius, & *Vadaltrichus* *Comites* auxilium te illis nepote eorum *Arnolfo* optimo Duce *Bavariæ* eorum, totum exercitum eorum iuxta *heer* flumini penitus occiderunt, nisi triginta viros. Tam procul autem à vero abest, Ducem hunc *Arnolphum*, *Comit-*

rado Cæsari rebellem ad *Vngaros* profugisse, eosq; in *Baioariam* adduxisse, ut planè de contrario ex probatis auctoribus constet. Pium quoque, prudentem, & pacis publicæ amantem Principem fuisse, satis superq; testantur ea, quæ inter Regem *Henricum* Aucupem & ipsum gesta fuerunt: de quibus juxta alios lector consulat *Abbatem Vrspergensem*. Obiit A. C. 937. relictis ex *Gerhyrga Rudolphi* Comitissæ *Altorsen*, fratris *S. Conradis* Episcopi *Constantien*, filia liberis: **EBERHARDO**, qui ynà cum fratribus *Baioariæ* Ducatu, post obitum *Berchtoldi* patruï in consilio *Ottone* I. Imp. usurpato priuatus legitur: **ARNOLDO**, de quo paulo post: **HERMANNO**, qui captus in prælio & abductus fuit, An. C. 952. & **IVDITHA**, vxore *Henrici* *Saxonie*, post etiam *Baioaria* Ducis, *Ottone* I. Imp. fratris: famina à *Dithmaro* Episcopo *Merseburgen*, eius æui scriptore, alijsq; optimis auctoribus collaudata. **ARNOLDVS** restat, *Arnolphi* Ducis filius, (*Eckhardus* junior, *Monachus* *S. Galli*, qui non longè post illa tempora floruit, *Noricæ* Ducem vocat) Comes *Schrensis* & *Palatinus Baioariæ*; quæ dignitas tùm post *Ducalem* proxima fuit: rebellante contra patrem *Ottone* I. Imperat. filio, eidem spe recuperandi Ducatus paterni se coniunxit cum fratre suo *Hermann*o: sed ab Imperatore obsessus *Ratisponæ*, in prælio ante portas ciuitatis occubuit An. C. 954. relicto filio *Berchtoldo*: ob fidem & integritatem in *Ottone* II. Imp. à *Dithmaro* jure laudato: quicquid secus de illo commemoret *Auent. Annal. Boior.* V. f. 503. & 505. Nec verò sibi ipsi constat *Auentinus*, qui in commemoranda clade *Ottone* II. à *Sarracenis* acceptæ *Bertoldum* hunc optimum reimitaris Ducem appellat. Et hæc quidem explicandæ historiæ gratia hoc loco commemorasse sit satis.

CATALOGVM ABBATISSARVM TALEM

proponit *Bruschius* sibi communicatum à *Dñ. Abbatissa* tunc in regimine constituta.

- I. **WILTRVDIS** fundatrix, obiit in die trium regum, annus intercidit.
- II. **CHRIEMHEIDIS**, Ob. 16. Martij.
- III. **BERTHILDIS** Ob. 18. Octobr.
- IV. **RICHINZA** Ob. 3. Junij.
- V. **HEYLICA**, Ob. 17. Ianuarij.
- VI. **ANNA** à *Schumedach*, Ob. 30. April.
- VII. **RILINDIS**, electa aliquot lustris post annum Domini 1095. quo nimirum anno denud consecrata legitur *Basilica Bergensis* *Canobij* Ob. 22. Augusti.
- VIII. **REGILINDIS** ex *Agmundensi* *Canobio* missa *Bergensi* monasterio prescitur Anno 1156. Ob. 4. April. an. 1169.
- IX. **BERTRADA**, Ob. 26. April. an. 1181.
- X. **ADELHEIDIS**, desunt post illam aliquot *Abbatissæ* quæ ei successerunt.
- XI. **HILTEBURGIS**, Ob. 20. Febr.
- XII. **CHVNIGVNDIS**, Ob. 7. Martij.
- XIII. **MARGARETHA**, Ob. 8. Martij.
- XIV. **KVNEG VNDIS II**, Ob. 23. Octobr.
- XV. **ADELHEIDIS** ex nobili familia *Pincernarum* de *Arberch*, eligitur Anno 1340. presuit summa diligentia, prudentia & laude annis 46. Ob. 16. Nouembr. Anno 1386.
- XVI. **MARGARETHA** à *Mur*, Ob. 30. Martij An. 1388.
- XVII. **ANNA** de *GAILINSHEIM*, Presuit annis 42. Ob. 3. Febr. An. 1430.
- XVIII. **ELISABET** *Steurerin* *Ratisbonen*, Ob. 23. Febr. An. 1458. quo reformatum est *Canobium* juxta regulam *D. Benedicti*.
- XIX. **BARBARA** *Egkerina* ex *Vindelicorum* *Augusta* missa ad reformatum *Canobium*, Ob. 4. Nouembr. An. 1472.

XX. MAR.

XX. MARGARETHA Præposita Ob. Cal. Febr. an. 1498. inguinaria peste consumpta.

XXI. EUPHEMIA de Mur, Ob 15. Julij. An. 1521.

XXII. SABINA Pyrkhemerin Noribergensis Patricia ob. apoplexia 22. Decēb an 1529.

XXIII. EUPHEMIA prædefunctæ Abbatisse soror electa 3. Ianuar. Anno 1530 plurimas grauissimasq. calamitates perpeſſa, de quibus lectōr Bruschiū alioſq. videre potest Ob 15. Nouembr an 1547.

XXIV. CATHARINA Habereyminè Perchingo Episcopatus Aychtensis oppido (qua Catalogum hunc communicauit Brussio) electa fuit 7. Decembr An. 1547.

De Præilegiis & aliis, quæ ad hoc Monasteriū spectant, videatur Bruschiū loco prædicto.

BERNFRIED.

MONASTERIUM Canon. Regularium S. Augustini, ad stagnum Wirmsee. Fundauit in honorem S. Martini Episcopi Comes Otto de Vallay, cum coniuge sua Adlhaide, Auent. fol. 552.

HVIS Monasterij prima confirmatio facta est à Ioanne XXII. Anno 1120. secunda ab Eugenio tertio.

SEPULTI sunt ibi Otto fundator, cum fratre Ottone juniore, Mechtilde sorore amborum, & Adlhaid, vxore Ottonis, senioris in Capitulo, vt ibi habetur. Sed Auentin. neq. fratris, neq. sororis meminit.

IBI Herluca sacratæ foemina sepulchrum ostenditur, Ioan. Auent. l. 5. f. 591.

ADDITIONES.

CALISTVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filiis Othoni A. Præposito, & eius Fratribus in Beati Martini Ecclesia regularem vitam professis, tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Religiosis desideriis dignū est facilem præbere cōsensum, vt fidelis deuotio celerem sortiatur effectum. Ea propter nos tam vestris, quam nobilis viri Othonis precibus inclinati, Ecclesiam vestram in honorē Domini Saluatoris, & Beati Martini intrā Episcopatum Augustensem, in loco qui dicitur BERNRIED, constructam, in qua sub regularis vitæ obseruantia, & Canonici Ordinis disciplina omnipotenti Domino seruire decreuistis, in Beati Petri Romanæ Ecclesiæ tutelam, protectionemq. suscipimus, & Sedis Apostolicæ patrocinio communitus. Statuimus enim, vt omnia quæ illi vel ab eodem Othone, & vxore eius Adelheide, vel ab aliis fidelibus de suo iure aut jam collata sunt, aut in posterum largiente Domino conferentur, quæta vobis vestrisq. successorib⁹, in eadem religione mansuris, & illibata permaneant. Decernimus quoq. vt nulli omninō hominum liceat eandem Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare: sed omnia integrè cōseruentur, eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione cōcessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua Augustensis Episcopi reuerentia. Præpositorum vero libera & Canonica, maximè de eadem, vel de qualicunq. spirituali congregatione fiat electio, & post professionem justè exhibitam, nemini vestrum liceat proprium quid habere; nec sine Præpositi vel cōgregationis licetia de claustro discedere, vt in eo, quod assumpsistis, proposito largiente Domino constanter in perpetuum maneatis. Aduocati etiam & defensores eidem Cellæ vtilis ab ipsius loci fratribus prouideantur, & liberè eligantur. Ad iudicium autē perceptæ huius à Romana Ecclesia liberatæ Albam cum cingulo & amictu Beato Petro in Lateranensis palatij Capella singulis trienniis persoluetis. Si qua ergò in futurum Ecclesiastica, secularisue